

Pyrrhus, qui aduersus Romanos bellum gessit, habuisse traditur Achaten, in qua xj. Musæ & Apollo citharam tenens spectarentur, nō arte, sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, vt Musis quoq; singulis sua redderentur insignia, Plinius. Scaliger Exercitatione 117. contra Cardanum negantem hæc ita casu contigisse: Cur (inquit) aut Apollinem aut Musas in Achate pictas credere voluisti? Maculas in lapidibus multas cōspeximus: quibus vidi potētiores pro suo quæque supercilio varia imponere nomina. Marmoris frustum sectum ad lateritium parietem incrustandum, edidit effigiem barbati senis: quā ad Paulum primum Eremitam vno consensu omnes referebant. Sanè pingunt eiusmodi, stantem, palmacea amictum storea. Eum lapidem Leonardus Crassus ciuis noster afferendum curauit ad Maximilianum, cum essemus Ratisbonæ. Hæc ille. In Pario marmore mi-